

عبدالله بن محمد

الملك

H. Edals Rittm. und Ritter. G. Fischer von Waldheim

DISSERTATIO ACADEMICA
NOVAS COLEOPTERORUM
FENNICORUM SPECIES

SISTENS,

QUAM

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS.
AD IMPER. UNIVERS. ALEXANDR.
IN FENNIA,

PRAESIDE

CAROLO REGINALDO SAHLBERG,

*Phil. & Med. Doct. Zoolog. & Botan. Prof. Publ.
& Ord. Imp. Collegii Med. Assess. Ord. Imp. de
S. Wolodimiro in quart. Class. Equ. Societ.
Imp. Nat. Studios. Moscov. Societ. Nat.
Scrut. Lips. Physiogr. Lund. Linn. Holm.
Entom. Gall. nec non Societ. Imp.
Oecon. Fenn. Membro,*

PUBLICAE SUBMITTIT CENSURAE

AUCTOR

REGINALDUS FERDINANDUS SAHLBERG

Amanuensis ad Museum Universitatis Ordinarius,
Satacundensis,

In Audit. Philos. die 10 Maji 1834.

h. a. m. c.

HELSINGFORSIÆ, Typis FRENCKELLIORUM.

Q
QL591
S13.

VIRO AMPLISSIMO

D. CAROLO JOH. SCHÖNHERR

E CONSILII COMMERCIORUM,

EQUITI AURATO ORD. DE STELLA POLARI,

PLURIUM SOCIETATUM LITT. MEMBRO,

FAUTORI OPTIMO,

HOC PRIMUM PERICULUM ENTOMOLOGICUM

VENERABUNDO ET GRATO ANIMO

@ 39640

OFFERT

Reginaldus Ferd. Sahlberg.

NOVAE COLEOPTERORUM
FENNICORUM SPECIES

Auctore

Reginaldo Jo. Lin. Sahlberg.

Inter omnes constat Naturae Scrutatores, meridionales terrae plagas ditiori gaudere Fauna Flo-
raque, ac regiones septentrionales, hasque, quo
altius versus septentrionem fuerint sitae, eo par-
ticiorem in universum gignere diversorum Anima-
lium et vegetabilium numerum. Quamvis vero
Scandinavica tellus, quemadmodum caeterorum a-
nimalium, ita Insectorum, tantam alere non va-
let multitudinem et varietatem, quantam sub me-
ridie miramur, deteguntur tamen apud nos quot-
annis quaedam ex hac classe animalcula, vel an-
tea heic non observata vel omnino nova. Non
igitur est mirum, si etiam mihi, amore in scien-
tiam Entomologicam mature capto, atque Inse-
ctis colligendis per decennium circiter adsvecto,
quaedam occurrerint species, ab aliis non inventae
vel saltem nondum descriptae. Specimen pro
exercitio jam daturus Academicum, non omnino
ineptum putavi, descriptiones quorundam Coleo-
pterorum, vel in Finlandia australi vel sub itinere

Sherman's, 1844 vol. 4, p. 172/25

in Lapponiam facto a me inventorum, neque hucusque, quantum mihi innotuit, descriptorum, Entomologorum sistere censurae. Quae vero in hocce tentamine invenerint sine dubio vitia harum rerum periti, eadem, enixe rogo, non severe judicent, sed benigne recordentur, primum hoc esse virium juvenilium et nondum exercitatarum periculum.

ACUPALPUS CIRCUMCINCTUS.

A. oblongus, niger, nitidus, thorace transverso, postice angustato utrinque foveolato, foveis subpunctatis, angulis rotundatis, elytris striatis nigris, sutura ac limbo pedibusque rufo-testaceis, antennis fusciscentibus. Long. $1\frac{1}{2}$ lin.

Ad Yläne Nygård in Paroecia Pöytis, prope Aboam, ad littus lacus Pyhäjärvi quaedam specimina semel in gramine excipulo legi.

Statura Acupalpi dorsalis, sed paullo minor.

Caput magnum, porrectum, triangulare, nigrum, nitidum, laeve; frons convexa, foveola longitudinali ad basin antennarum utrinque impressa; os et palpi testacea, antennae pubescentes, fusco-ferrugineae, ad basin dilutiores.

Thorax brevis, transversus, antice truncatus, lateribus tenue marginatus, rotundatus, posterius angustatus, basi truncatus, angulis rotundatis ob-

tusis, supra parum convexus, niger, nitidus, laevis, dorso tenue canaliculatus, juxta basin utrinque foveolatus, fovea lata, parum profunda, subpunctata, margo lateralis et basalis anguste rufo-ferrugineus.

Scutellum triangulare, piceum.

Elytra oblongo-ovata, thorace latiora, striata, striis impunctatis, punctulo in interstitio a sutura tertio interdum conspicuo, subdepressa, nigra, nitida, sutura et limbo anguste ferrugineis.

Corpus nigrum, nitidum, laeve,

Pedes rufo-testacei.

Obs. Inter A. dorsalem et A. meridianum quasi in medio jacet haec species; differt ab hoc praeter colorem thorace breviori, ab illo vero thorace paullo longiori. Acupalpo suturali Generosissimi Comitis *Dejean* etiam similis esse videtur, sed colore satis diverso differt.

HYDROPORUS BREVIS.

H. breviter ovatus, subconvexus, niger, glabriusculus, capite piceo, antennarum basi pedibusque rufo-ferrugineis. Long. $\frac{1}{2}$ lin.

Habitat in aquis stagnantibus. In Paroecia Ostrobothniae Öfver-Torneå nonnulla specimina inveni primo vere anni 1830. D. *Kolström* quoque exinde quaedam nuper misit exemplaria.

H. granulati paullo latior, sed eodem vix longior.

Caput magnum, rotundatum, depressum, vix visibiliter punctulatum, piceum, ore palpisque rufescentibus. Antennae thorace paullo longiores, rufo-ferrugineae, extrorsum infusatae.

Thorax brevis, transversus, antice multo angustior, late emarginatus, angulis porrectis acutis, lateribus rotundatus, marginatus, postice bisinuat, in medio loco scutelli parum productus, supra in medio transversim convexus, ad angulos posticos saepius parum impressus, niger, nitidus, limbo evidentius, disco autem subtilius punctatus, pilis brevibus rarioribus adpersus.

Elytra oblongo-ovata, pone medium parum dilatata, apice ipso rotundata, supra modice convexa, nigra, nitida, subtiliter punctulata, glabriuscula.

Corpus subtus nigrum, nitidum, glabrum, pectore evidenter punctato, abdomine strigis oculo acute armato conspicuis.

Pedes elongati, toti rufo-ferruginei.

Obs. Variat elytrorum apice interdum rufescente, antennisque rufo-ferrugineis totis.

HELOPHORUS BOREALIS.

H. subtus fusco-aeneus, obscurus, thorace rufescenti-cupreo, quinque-sulcato, lateribus parum ro-

tundato, elytris griseo-testaceis, profunde punctato-striatis, interstitiis valde convexis, alternis subelevatis. Long. 1 $\frac{3}{4}$ lin.

In Paroecia Öfver-Torneå, prope Avasaxa, plura specimina primo vere, anno 1830, in aqua stagnante semel lecta.

H. granulari triplo major, a quo praeterea differt colore, interstitiis elytrorum alternis subelevatis, striis profundioribus, lateribusque thoracis minus rotundatis.

Caput cupreo-violaceum, nitidum, crebre punctulatum, fronte linea trifurca, ut in caeteris; profunde impressa. Palpi testacei; posteriores pilosi. Oculi nigro-brunnei. Antennae testaceae totae.

Thorax brevis, transversus, parum convexus, antice latior, lateribus parum rotundatus, marginatus, supra cupreo-rufescens, nitidus, lateribus aureo-nitentibus, rugoso-punctatus, sulcis quinque longitudinalibus, plerumque aureo-nitentibus, exaratus, medio recto, lateralibus, ut in caeteris Helophori speciebus, flexuosis.

Scutellum rotundatum, minutum, cupreum.

Elytra magna, elongata, lateribus parum dilatata, convexa, profunde punctato-striata, interstitiis valde convexis, punctulatis, punctulis minutissimis in lineam dispositis, alternis, inprimis versus la-

tera, subelevatis, griseo-testacea, sutura versus apicem plerumque infuscata.

Corpus subtus fusco-aeneum, cinereo pubescens, ano dilutiori.

Pedes pallide ferruginei, articuli tarsorum ultimi apice unguibusque nigris.

Obs. Magnitudine valde variant H. granulata et griseus. Omnia vero hujus speciei exemplaria, quae haud omnino pauca legi, inter se aequalia sunt.

NITIDULA SEXGUTTATA.

N. ovata, subconvexa, brunneo-ferruginea, crebre punctulata, elytris suberenato-striatis, pilis in lineas regulares adpersis, guttulis sex ferrugineo-flavescentibus. Long. $1\frac{1}{2}$ lin.

In Yläne bis capta.

Statura N. punctatissimae, sed quadruplo minor.

Caput depressum, inaequale, brunneum, subpubescens, subtiliter subrugoso-punctulatum, fovea inter antennas magna transversa; ore ferrugineo. Oculi prominuli, nigro-brunnei. Antennae rufoferrugineae, clava pubescente.

Thorax brevis, antice late emarginatus, angulis subacutis, lateribus rotundatus, postice sub-

truncatus, supra inaequalis, disco convexo, inaequaliter ruguloso-punctulatus, pubescens, brunneo-ferrugineus, subnitidus, lateribus explanatis, impressione mox pone medium satis conspicua.

Scutellum breve, subtriangulare, autilissime punctulatum, brunneum.

Elytra oblongo-ovata, postice rotundata, lateribus late marginata, supra disco subconvexo, crenato-striata, interstitiis rugulis transversis subrugosis, pubescentibus, seriatim pilosis, postice versus apicem magis elevatis, brunneo-ferruginea, subnitida, guttulis in utroque tribus ferrugineo-flavescentibus, quarum prima ad basin juxta scutellum, secunda ante medium magis extrorsum, et tertia, paullo major, pone medium.

Corpus subtus brunneo-ferrugineum, crebre et distincte punctulatum, subglabrum, nitidum.

Pedes punctati, brunneo-ferruginei, tibiis anticis tarsisque (forte in mare tantum) dilatatis.

CRYPTOPHAGUS AFFINIS.

C. oblongo-ovatus, subpubescens, subtus nigro-piceus, abdomine dilutiori, supra ferrugineus, elytris fascia lata transversa nigra, thoracé subquadrato, postice angulato, lateribus obsolete sinuato.
Long. $\frac{1}{2}$ lin.

Habitat in fungis. Ad Yläne Nygård semel sat copiose a me lectus.

Statura et magnitudine *C. fimetarii*, a quo tamen differt colore et thorace postice angulato lateribusque distinctius sinuato.

Caput triangulare, subtilissime punctulatum, ferrugineum, subpubescens, oculi globosi, atrii. Antennae ferrugineae, pubescentes, thorace cum capite paullo longiores, articulo primo elongato, crasso, secundo minori, sed insequentibus paullo crassiore, 3:tio --- 8:vo brevibus, nodosis, tribus ultimis crassioribus, clavam formantibus.

Thorax subquadratus, latitudine paullo brevior, antice parum angustior, truncatus, lateribus rotundatus, in medio obsolete emarginato-sinuatus, angustissime marginatus, margine integro, postice truncatus; anguste marginatus, angulis parum exsertis, supra valde convexus, ferrugineus, crebre punctulatus, subpubescens.

Scutellum brevissimum, transversum, subtilissime punctulatum, subpubescens, nigro-piceum.

Elytra thoracis basi paullo latiora, eodemque triplo longiora, convexa, crebre, subtilius autem quam thorax, punctulata, tenue pubescentia, ferruginea, fascia lata transversa fusco-nigra.

Corpus subtus nigro-piceum, subtiliter punctulatum, subpubescens, abdomine piceo-ferrugineo.

Pedes tenues, ferruginei.

Obs. Variat fascia Elytrorum majori vel minori, interdum vix conspicua,

PHYTOBAENUS. *Novum genus.*

Character Generis. Palpi quatuor, omnes distincte securiformes, maxillares multo majores, articulo ultimo maximo compresso.

Mandibulae porrectae, subtrigono-triquetrae. Labium membranaceum, productum, lineare, apice parum rotundatum.

Antennae ante oculos insertae, crassiusculae, submoniliformes, articulis contiguis, articulo primo paullo crassiore et longiore, 2:do -- 6:to fere omnino aequalibus, 7:mo -- 10:mo paullo crassioribus et brevioribus, ultimo ovato subacuto.

Caput insertum, deflexum.

Thorax convexus, immarginatus, latitudine capitis cum oculis.

Corpus oblongum.

PHYTOBAENUS AMABILIS.

P. subtus nigro-piceus, supra fusco-brunneus, subpubescens, parce punctatus, elytris maculis duabus albidis, antennis fusco-ferrugineis, pedibus

anterioribus tarsisque posticis testaceis. Long.
 $1\frac{1}{4}$ lin.

C. R. Sahlberg in litteris.

In gramine et fruticibus excipulo aliquoties in
 Ylane captus; rarissime tamen occurrit. Magni-
 tudo et statura fere Anthici oculati.

Caput triangulare, deflexum, insertum, subti-
 lissime punctulatum, nigro-brunneum, macula in-
 ter oculos subtriangulari, holosericeo - albida. Os
 et palpi testacea. Oculi magni, prominuli, nigri.
 Antennae thorace cum capite longiores, crassiuscu-
 lae, submoniliformes, extrorsum paullo crassiores,
 subpubescentes, fusco-ferrugineae.

Thorax latitudine paullo longior, antice trun-
 catus, lateribus ante medium parum rotundato-
 dilatatus, basi subbisinuatus, supra convexus, in-
 aequalis, impressione ad basin transversa, carinu-
 la brevi obsoleta in duas divisa, fusco - brunneus
 margine antico paullo dilutiori, subtiliter punctu-
 latus, subpubescens, pube, ad latera interdum paul-
 lo densiori, cinereo-holosericea.

Scutellum minutum, apice truncatum, nigro-
 brunneum.

Elytra thorace latiora et illo triplo longiora,
 apice rotundata, supra convexa, ad basin parum
 elevato-gibbosa, crebre et sat profunde punctata,
 subpubescentia, fusco-brunnea, maculis in utroque

duabus albidis, quarum altera ante medium triangulariter elongata, ad humeros fere continuata, altera pone medium, transversa, fasciaeformis, suturam fere attingens.

Corpus subtus nigro - piceum, ano interdum dilutiori, subtiliter vage punctulatum, subpubescens.

Pedes pubescentes, anteriores toti tarsisque postici testacei, femora vero tibiaeque posticorum fusco-picea.

HALTICA PRATICOLA.

H. ovata, convexa, nitida, punctulata, subtus nigra, supra fusco-aenea, antennarum basi, elytrorum apice pedibusque flavo-testaceis, femoribus posticis macula ad apicem fusco-aenea. Long. $\frac{2}{3}$ lin.

Habitat in plantis et gramine rarius. In Paeroecia Pöytis primum inventa. Deinde in Taviaa a D. A. E. Granfelt quoque lecta.

Statura *H. holsaticae*, sed magis elongata et paullo major.

Caput triangulare, fusco - aeneum, nitidum, fronte inter antennis carinula longitudinali acute elevata. Os et palpi picea. Oculi prominuli, nigro-brunnei. Antennae dimidio corpore longiores, pubescentes, articulis quatuor vel quinque primis flavo-testaceis, exterioribus fuscescentibus.

Thorax longitudine latior, antice posticeque subtruncatus, lateribus rotundatus, evidenter marginatus, supra valde convexus, fusco-aeneus, nitidus, sat crebre punctulatus.

Scutellum breve, triangulare, fusco - aeneum, nitidum, laeve.

Elytra basi thorace latiora, humeris rotundatis, pone medium dilatata, apice singulatim rotundata, supra convexa, fusco-aenea, nitida, punctulata, punctis ad basin profundioribus, versus apicem paulatim evanescentibus, apice indeterminate flavo-testacea.

Corpus nigrum, nitidum, subtiliter vage parceque punctulatum.

Pedes mediocres, subpubescentes, anteriores toti, posticorumque tibiae ac tarsi flavo-testacei, femora postica mutica, rufo-testacea, superne macula versus apicem fusco-aenea.

Obs. Ad Halticas Celeberrimi Domini Illigeri Longitarses est referenda.



